



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XLI. De lectione literarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

XLI.

*De * legatione literarum.*

Nullatenus cuiquam fratrum liceat a parentibus suis, neque a quoquam hominum, nec sibi inuicem, accipere vel dare sine iussu magistri vel procuratoris. Postquam licentiam frater habuerit, in praesentia magistri, si ei placet, legantur. Si vero & a parentibus ei quidquam directum fuerit, non praesumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit magistro. In hoc autem capitulo magister & domus procuratores non continentur.

XLII.

De fabulatione propriarum culparum.

Cum omne verbum otiosum generare agnoscatur peccatum, quid ipsi iactantes de propriis culpis ante districtum iudicem dicturi sunt? Ostendit certe propheta, si a bonis eloquiis propter taciturnitatem debet interdum taceri, quanto magis a malis verbis propter poenam peccati debet cessari. Vitamus igitur & audacter contradicimus, ne aliquis frater remanens, ut melius dicam, stultitias, quas in saeculo in militari negotio tam enormiter egit, & carnis delectationes miserrimarum mulierum, cum fratre suo, vel alio aliquo, vel de alio commemorare audeat: & si forte referentem aliquem talia audierit, obmutescere faciat, vel quantocius poterit cito pede obedientiae inde discedat, & olei venditori aurem cordis non praebet.

XLIII.

De quaestu & acceptione.

Verum enimvero, si aliqua res sine quaestu cuilibet fratri data gratis fuerit, deferat magistro vel dapifero: si vero aliter suus amicus vel parens dare nisi ad opus suum noluerit, hoc prorsus non recipiat, donec licentiam a magistro suo habeat. At cui res data fuerit, non pigeat illi, si alteri datur: imo pro certo sciat, quia, si inde irascitur, contra Deum agit. In hac autem praedicta regula ministri non continentur, quibus specialiter hoc ministerium debetur & conceditur de mala & sacco.

ANNO
CHRISTI
1117.
* forte
lesione